



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

4. Secunda Epistola Alectensis ad Regem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Documentum IV.

Episcopi Alectensis Epistola ad Regem.

Domine, &c.

Vereor equidem, ne Majestatem Vestram importunè molesteque conveniam; tamen cohiberi non possum, ut non omnium reddam certiozem, quæ contra quemdam Ecclesiasticum Decanatum, ejusque officia in Ecclesia nostra Cathedrali captantem, me necessitas coëgit experiri. Et verò tantum mihi audeo de clementia & æquitate Majest. Vestræ polliceri, ut persuasum habeam, Eam potius ijs fidem præstituram, quæ in Majestatis Vestræ sinum pari libertate ac reverentiâ effundam, quàm illorum vocibus, qui non omittent me reddere suspectum Majestati Vestræ, meâsq; actiones in pejus interpretari. Narrabunt illi, Mandatum à me prodijisse, quo non obstante Regij Senatûs Decreto, Ecclesiasticum illum submovebam, commonebâmq; ne Regijs præceptis acquiesceret; cùmque perfraderi à me non possêt, ut coëptis absisteret, aliud Mandatum secutum esse, quo ex Disciplina Ecclesiasticæ legibus premi illum, arcerique jubebam. At verò, si, quod supplex demissusque, ac quâ possum reverentiâ, exposco, Majestati Vestræ placuerit hanc causam examinare, fatebitur Ipsa, id à me tantum factum esse, quod fieri omnino oportuit. Nondum exciderit Majestati Vestræ, me jam semel datis ad Eandem litteris, quibus rationibus jura & libertates Ecclesiæ meæ contra Regaliam munirentur, suggestisse: nec Ipsa, si modò dignata fuerit animum ad ea advertere, inficias iverit, aut Ecclesiam meam à me prodi debuisse; aut ejus libertati tuendæ, nihil, quod modò in

B b 8

viribus

Gallia
Indicata
C III
230

viribus meis esset, intentatum relinqui. Quid enim aliud poteram, quàm ut Ecclesiæ parerem, ejusque me legibus dederem? At illa in Concilio Generali, quid in hisce angustijs agerem, quémque portum subirem, jam facem praeluxerat. Testor veritatem, me nihil aliud egisse, quàm ut Ecclesiæ Mandata exequerer, néque sive me filium, sive ministrum Ecclesiæ cogitarem, parendi necessitate solvi potuisse. Et hoc ipsum est illud, quo me angi vehementer contestor, in eam videlicet me adductum necessitatem, ut videri possem Majestatis Vestræ mandatis obluçtari, & tamen nemo illam demissius veneratur; &, cui libuerit, actiones meas in hac causa metiri, fateri cogetur, nihil à me magis minúsque peractum esse, quàm necessitas urgeret, ac remedia morbo aptasse, nec prius ad acerba poenásque Ecclesiæ deventum, quàm spe omni consumptâ, & cum mitiora non proficerent. Nihil aliorum consilijs, nihil exterorum suggestionibus debeo; & si quidem Majestati Vestræ placeat hoc culpæ adscribere, totum id crimen meum est, sine complice, sine magistro deliqui, nec ullum admisi erroris socium. Ego hanc causam intimè, lentèque discussi, cum videlicet eam cognoscendi me necessitas & officium premeret. Ego illam omni studio expendi: ego non cursim, nec obiter libavi, sed multa cum cura moræque, non mecum tantùm, sed etiam cum ipso DEO contuli, ejusque gratiam ac lumen, ne fortè errore aliquo abriperer, demissè imploravi. Nec verò in hoc stadium tanti sudoris ac pulveris plenum, aliam ob causam decurri, quàm quòd persuasum haberem, nisi id agerem, præcipuis mei muneris partibus defuturum; atque hæc opinio nunquam deleri ex animo meo potuit, imò semper invaluit. Cum enim gravissimo morbo ultimis annis confictarer, meque

méque jam morti accingerem, vehementer animum meum ea cogitatio pulsare cœpit, quâ tangi me, permoverique sentiebam, ut ultimos hujus vitæ meæ annos, ac pauca, quæ supererant, momenta, Deo unicè addicerem, impigréque officio meo perfunderer, ac præcipuè in causa Regaliâ: quâ implicatum me cernebam, novum fidelitatis exemplum post me relinquerem. Et quia causæ rationesque, quæ animum meum primò imbuerunt, semper eadem, ac immutatæ persistunt, fieri quoque non potest, ut propositum mutem, aliâque viam insistam. Recordetur Majestas Vestra, me in ea ætate versari, quâ nihil aliud, quàm vicinam mortem, reddendâsque Deo rationes cogitare jam lubet. Infelicissimus ergo, & miserrimus fuerim, si, ut quiete ac malaciâ fruar brevissimi temporis, conscientiæ meæ vim faciam, ac stimulis, quibus agi me sentio, lubens prudensque obnitar, periturus videlicet momenti amore. Id verò si agam, fateor me hac unâ culpâ indignum eo gradu ac Dignitate reddi, in quam me Deus provexit, nullâque mihi ampliùs fiduciam fore pro Majestatis Vestræ, Ejusque Regiæ Familiæ sospirate coelestem gratiam implorandi. Equidem persuasum semper habui, neminem Principi suo fidelem fore, qui Deo infidelis esset, eamque semper regulam observandam duxi, quam ab Apostolo hisce verbis consignatam didiceram, videlicet: *Deum time, & Regem honora.* Hæc sunt adversus Majest. Vestram animi mei sensa, hæc mecum, uti spero, in extrema durabunt, qui tamen gloriari audeo, me nec fide in Majestatem Vestram, nec reverentiâ ulli alteri palmam concedere. Aleçti 20. Octob. Anno 1676.

Majestatis Vestræ

*Humillimus, Obsequentissimus & Fidelissimus
 Servus & subditus
 Nicolaus Episcopus Aleçtensis,*

Gallia
 Indicata
 C. III
 1676